



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Festum Ascensionis D. N. Jesv Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## 10 FESTA MOBILIA.

*sepulchrum. Ibi lacrimas devotionis effunde, nec usquam divertas, donec resuscitati Domini teneas vestigia, contrectes manu ac lenias osculis clavorum foramina. Illum audi loquentem, agnoscet viventem, dilige diligentem. S.Laur.Just.serm.de Resur.D.*

## FESTUM ASCENSIONIS D.N.

JESV CHRISTI.

**I**O ! iterum : iterum Io ! iterum Triumphe ! Ecce amor meus triumphans Capitolium cœleste petit ! Ecce obvios omnes cæli cives ! Ecce eruptos orco & servatos Patres , omnes cæli libertate pilatos ! O numerum daretur horum augere ! ô ultima triumphi appendix pedibus hærere possem triumphantis ! Vicisti eia Amor Christe amatum. En manus do vietas. Victum eccur non etiam in triumphum ducis ? Ecce sequar vel vinclitus currum. Heu mihi ! sine me hem jam nubes transit, hem Christus habet muros ! Hæc nimirum ab inferis reduci victori unica corona deerat , *Muralis*. Hanc quoque, dum primus hodie amor meus in cæli mœnia evadit, primus tulit. Sed ne animum despondere cæteri, qui bellum cælo facitis, & vi amicâ cælum itis expugnatum. Auferet ( iterum moneo) hanc etiam secundus, tertius , etiam ultimus. Imò ultimus primas feret, & quò profundius descenderit, hoc altius ascendet. Neque est, quòd viam multum inquiramus , quæ ad triumphum ducat. Impressit huic Christus vestigia sua, sanguine notavit. HAC ITVR.

*Ascendamus cum Christo corde, ut cum dies ejus promissus advenierit, ascendamus & corpore. Sed cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria;*

RIA 3

ria; nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia deponere. S. Aug. serm. 2. de Asc. Dom.

## FESTUM PENTECOSTES.

**N**on ego jam centum ora totidemq; linguas, unam tantum ex iis opto, quas hodie cælum depluit. Jacebat è juventute studiosâ adolescens, quem in lectum non tam ægritudo quàm scelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores se stare, surdus ne fratris quidem monita saluberrima audiebat. Intempestâ nocte virum videt majestate vultûs; & multâ canitie venerandum. Ego, ait hic, ille sum, qui tui causâ omnia, sed te mei unius gratiâ condidi. Si nondum intelligis, omnium PATER sum. sed te filium degenerem abdico, abjicio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito sub alteram noctem vir adest integrâ ætate, spinis caput, cruce humeros insignis, cætera nudus & sanguine, qui ex pectori saucio in fontem abierat, latè humum inundans; hic, si nescis, inquit, JESVS sum, Servator olim tuus, nunc Judex: simul manus pectori immittit; & sanguine plenari in vultum jaciens ægri, erubescere, ait, vel sic & tessellam damnationis cape, salutis futuram, si maluisses. Sub hæc in cælos, æger in desperatione abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis ad Amorem SPIRITVM se verteret, suasit. Tertia igitur nox personam visa ostendere, vultu prioribus non absimili, sed placido, & arridente, qualisque humero insidens columba probabat. Atque hæc scelerum veniam, & mortem beatam